

2229.

1320 d. 9 Mars.

Abboterne BIRGER i Alvastra och JOHAN i Warnhem intyga, att Biskop Carl i Linköping medgifvit Kyrkoherdarne inom hans stift att hos Påfven anhålla, att den gamla ordningen för biskopsvisitationer, som varit iakttagen, intill dess 6:te boken af Decretalierne utgafs, måtte, i anseende till presternas fattigdom, äfven framdeles få följas; för hvilket ärendes utförande Årkedjeknen Johan erhåller båda parternas fullmakt.

Registr. Eccl. Lincop. perg. fol. 50. v.

Omnibus presentes litteras inspecturis. BIRGERUS de aluastro et JOHANNES de warneem. abbates Cisterciensis ordinis eternam in christo salutem Tenorepresencium constare volumus omnibus euidenter quod constituti pluries coram venerabili patre domino karolo dei gracia episcopo lincopensi in nostra presencia discreti viri Rectores et curati ecclesiarum lincopensis dyocesis in synodo episcopali exposita primum multiplici sua paupertate et penuria proposuerunt vnanimiter. se non posse sufficere ad exhibendum ei de singulis ecclesiis procuracionem in victualibus eum visitacionis officium impenderet aput illas. supplicantes humiliter vt antiquam visitandi consuetudinem a suis predecessoribus vsque ad edicionem sexti libri decretalium inuiolabiliter obseruatam misericordie visceribus super eorum motus miseria reassumere dignaretur Juxta quam quidem consuetudinem episcopus qui pro tempore fuerit in suis expensis visitans. de pluribus parochiis ad vnam ecclesiam populum conuocauit. ac proposito verbo dei confirmacionisque exhibito sacramento visitacionis peregit officium inquirendo de vita et moribus ministrorum, mittendo eciam canonicos et capellanos suos ydoneos ad singulas ecclesias qui sollicite de custodia sacramentorum, libris. ornamentis et aliis omnibus ad diuinum cultum spectantibus perscrutantes. singula queque reformatione indigencia ad ipsum perducerent bona fide percipiens ab eis annis singulis cathedriticum ut percipere consueuerant lincopenses episcopi ab antiquo, Ad quod respondit venerabilis pater et dominus episcopus memoratus quod quantum ius permetteret libenter eorum votis annueret et profectibus preuideret, De visitacionis autem modo quem ante se inuenit a suo predecessore proximo vsitatum resilire tutum minime reputaret, Cum et ille solus reperiatur in iure expressus. nec alius videatur expresse concessus Sed ad hoc curati replicabant predicti quod per illud ius nouum de forma visitandi et procuraciones recipiendi in sexto decretalium expressum papa non intenderet specialibus locorum statutis et approbatis terrarum consuetudinibus in aliquo derogare, propter quod asserebant sibi licere ad consuetudinem male dimissam. sed rite et laudabiliter obseruatam redire presertim cum et quedam pars ipsius dyocesis insularis in sua adhuc persistat consuetudine nec aliquam immutacionem receperit super illa in super circumiacentibus eciam terris, aliis super hoc consuetudo seruetur

antiqua. Verum sepedictus reuerendus pater eorum inopie et afflictioni condescendens Tandem cum consensu capituli sui respondit animo compassiuo se gratanter admittere vt super hoc requireretur sedes apostolica. sine cuius declaratione et licencia speciali hoc nullatenus attemptaret. Constituens et deputans vna cum eisdem curatis communiter discretum virum dominum johannem archidyaconum lincopensem exhibitorem presencium ad id negocium suo et sui capituli necnon et eorundem curatorum nomine aput sedem apostolicam fideliter prosequendum, Dederunt itaque ijdem curati predicto archidyacono plenam et liberam facultatem pro se et nomine suo agendi defendendi litteras tam simplices quam legendas gratiam vel iusticiam continentes. impetrandi. jurandi de calumpnia et veritate dicenda. iuramenta deferendi. ac procuratorem alium loco sui substituendi et substitutum reuocandi. ac in se quociens necesse fuerit procuracionis officium resumendi, necnon et alia omnia et singula faciendi et procurandi que in premissis et circa premissa necessaria fuerint seu eciam oportuna siue mandatum generale exigant siue eciam speciale ratum et gratum perpetuis temporibus habituri. quicquit(!) per dictum procuratorem in dicta curia uel substitutum ab eo actum factumve fuerit seu eciam procuratum Et volentes dictum procuratorem uel ab eo substitutum releuare ab omni onere satisfaciendi, promiserunt pro ipso et substituendo ab ipso de iudicio sisti et iudicato soluendo in omnibus suis clausulis sub omni bonorum suorum hypotheca et obligacione In premissorum igitur euidentiam pleniorum nos cum instancia requisiti ob defectum notarij publici premissa omnia in publicam formam redigi fecimus sigilla nostra vna cum sigillo venerabilis patris et domini episcopi supradicti et capituli sui presentibus apponentes Datum Anno domini Millesimo CCC vicesimo dominica medie XL.e.

*Allmän öferskrift: De bonis episcopi.*

2230.

1320 d. 15 Mars.

Ärkebiskop Olof befullmäktigar Kaniken Nils Sigvastsson till sitt och sin kyrkas ombud, att emottaga Ärkebiskopens i Frankrike eller Flandern nedsatta egendom, och specielt att af framl. Domprosten Lars's exekutorer emottaga hvad som blifvit honom lemnadt, m. m.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Omnibus presentes litteras inspecturis. OLAUUS diuina miseracione Archiepiscopus vpsalensis. salutem in domino sempiternam. Noueritis quod nos discretum virum ac nobis in christo dilectum, Magistrum Nicolaum sighwasti, canonicum ecclesie nostre vpsalensis, facimus, constituimus et ordinamus, nostrum generalem procuratorem, actorem, negociorum gestorem et nuncium specialem, ad omnia, nostra, et ecclesie nostre predictae negocia gerenda et